

276  
tum, quoties extra matrimonium peccat contra castitatem. Solum quippe dispensatur quoad propriam uxorem. Si autem hæc moriatur, reviviscit votum, & non potest aliam ducere sine nova dispensatione, quæ non facile conceditur. Contrahens vero matrimonium cum voto religionis nequit petere, nec reddere debitum, etiam transacto bimestri, quia tenetur ad religionis ingressum, quamdiu illud non consumavit. At illo consumato, sive intra, sive extra bimestre, valet petere, & reddere, quia non habet votum castitatis, ut supponitur, & matrimonio semel consumato, nequit jam implere votum. Aliqui putant, quod contrahens matrimonium cum voto castitatis peccat illud consumando, etiam transacto bimestri, adhuc reddendo, quod non caret fundamento. Unde debet in bimestri curare dispensationem voti; alias saltem in hac negligentia graviter peccat, ut inquit D. Thom. in supplement. q. 53. art. 1. ad 3. Addit vero Angelic. ad 4. *Quidam tamen dicunt, quod potest & petere, & reddere, ne nimis onerosum reddatur matrimonium; sed si recte inspicitur, hoc est reddere interpretative.* Quibus verbis favet fragilitati voto ligati, ne nimis angatur scrupulis in petitione rationabili debiti.

38. Inq. 4. An per ingressum religionis, vel solum per professionem dissolvantur priora sponsalia? R. Etiam per ingressum dissolvi ex parte in sæculo manentis, qui proinde valet alteri nubere; quia ingrediens religionem, reipsa cedit juri sponsalium. Si autem a religione exiret, posset compelli ab altera parte stare promissis, quia ex utraque parte solum per professionem dissolvuntur sponsalia. Idem est de suscipiente ordines sacros, quia etiam hic meliorem statum eligit. Quamvis enim hæc conditio non includatur in aliis promissionibus, includitur tamen in illis, in quibus agitur de statu assumendo.

49. Inq. 5. Cur per nimiam dilationem, aut longinquam absentiam dissolvantur sponsalia? R. Dissolvi, quia sic se gerens censetur renuntiare juri sponsalium. Nec altera pars tenetur diu expectare. Nam licet Leges civiles dicant debere expectare sponsam per biennium, aut triennium sponsum recedentem a Provincia; quoad hoc

correctæ sunt jure canonico. Unde nisi dilatio nimia, aut absentia fiat ex consensu alterius partis, vel recessus sit in propinquum cum spe reditus, potest alia pars cui voluerit nubere de consilio viri prudentis, aut ex Judicis decisione, si sponsalia fuere publica. Nota, quod quoties adsit causa dissolvendi sponsalia, esto sint jurata, nulla requiritur relaxatio juramenti, quia hoc sequitur naturam principalis.

## PUNCTUM VI.

## De supervenientibus causis dissolvendi sponsalia.

40. Inq. 1. Quibus causis supervenientibus possint dissolvi sponsalia? R. Posse dissolvi quoties talis mutatio, aut notitia circumstantiarum superveniat, quæ, si antea fuisset cognita, aut prævisa, minime contraherentur. Quoniam sub hac conditione, & non aliter censentur sponsi se obligare. Unde si superveniat gravis infirmitas, præsertim habitualis, aut amissio oculi, manus, pedis, auriculæ, nasi, aut alia deformitas, vel paupertas notabilis, sive ex utraque parte, aut infamia, vel quid simile dissolvi valent sponsalia. Idem si dicti defectus præcesserint sponsalia; altera autem pars eos ignorabat. Quia ratione contrahens sponsalia cum ignobili, illegitima, infirma habitualiter, paupere, corrupta, aut etiam vi oppressa, sive heretica, ignorando esse talem, non tenetur ad ea; nisi ignorantia esset concomitans. At si, cognito defectu, rata habet sponsalia, vel copulam cum sponsa, nequit amplius ab eis resiliere. Tunc enim censetur etiam cum illo defectu, & opere velle matrimonium inire. Ideo, qui sciens morbum, paupertatem, & alios defectus, contrahit sponsalia, ad ea tenetur; nisi alias rixæ, scandala, aut alia inconvenientia ex conjugio timeantur.

41. Inq. 2. An laborans aliquo ex præditis defectibus, ignorato ab altera parte, possit licite sponsalia, aut conjugium inire? R. Non posse imprimis compellere alteram partem defectus ignorare. Per defectum quippe privatur jure compellendi. Deinde nequit eam decipere positive, negando defectum; esset enim deceptio graviter

viter injusta. Insuper, si defectus sit noxius, aut contagiosus, tenetur illum patefacere, ut ex se liquet. Denique si defectus nec sit nocivus, nec reddat onerosius conjugium, sed minus gratum, si sciretur, ut copula occulta, sive in viro post sponsalia, sive in femina ante, aut post illa, inspiciendæ sunt circumstantiæ, & justa illas erit, vel non obligatio illum detegendi.

42. Inq. 3. An, si unus sponsorum notabiliter ditior fiat, dissolvere possit sponsalia? R. negat. Quia supposito, quod altera pars in eodem statu persistat, nulla deceptio, nullumve onus additur alteri; divitiæ enim supervenientes non nocent, sed prosunt matrimonio incedendo. Circumstantiæ tamen tales possunt occurrere, ut sponsalia dissolvi valeant. Ut si alter sponsorum simul cum divitiis ad altiorem statum, seu gradum inopinatum elevaretur.

43. Inq. 4. Qua auctoritate dissolvi possint sponsalia? R. Sub distinctione, vel enim sunt secreta, vel publica. Si primum, supposita causa sufficienti, possunt dissolvi propria auctoritate. Ad quod sufficit certitudo moralis causæ ex dicto unius testis probi, & fide digni. Si sunt publica, debeat regulariter dissolvi a Judice ecclesiastico. Tamen eo non est opus, si nullum præjudicium, nec scandalum ex eorum dissolutione sequatur. Vel quando causa dissolvendi certa est occulta, quin per testes probari valeat. Si causa est dubia, Judex adiri debet. Tunc enim ad illum spectat decidere. Si vero probabilis adsit causa, & Judex adiri nequeat, potest innocens propria auctoritate resiliere.

## CAPUT II.

## De matrimonio.

Quatuor nominibus matrimonium nuncupatur. Dicitur enim *nuptiæ* a nubendo, seu tegendo, quia olim virgo marito tradenda quodam velamine operiebatur. Vocatur *connubium* ab eodem verbo *nubo*, quia femina tegere debet omnia, quæ pudorem offendere possunt, ut Rebecca se texit ad conspectum sui sponsi Isaac. *Genes. 24.* Appellatur *conjugium* a communi jugo, cui vir, & mulier subduntur. Demum dicitur *matrimonium* a matre,

eo quod mulier illud celebrat, ut mater efficiatur. Vel quia ipsa plus quam vir in procreatione, & educatione prolis laborat. Sicut econtra *patrimonium* dicitur a patre, qui plus in ejus acquisitione, & conservatione desudat. Igitur in hæc capite ea, quæ ad essentiam, & conditiones matrimonii spectant, discutuntur cum D. Thom. q. 44. et seq.

## PUNCTUM I.

## De natura, divisione, &amp; præcepto matrimonii.

44. Inq. 1. Quid sit matrimonium? R. Quod potest considerari ut sacramentum, & ut contractus. Ut sacramentum habet duas definitiones, metaphysicam, & physicam. Metaphysica est *sacramentum novæ legis institutum a Christo Domino, causativum gratiæ unitivæ*. Physica est *conjunctio sacramentalis viri, & feminae, individuum vitæ consuetudinem retinens*. Ut contractus civilis definitur: *conjunctio viri, & feminae, individuum vitæ consuetudinem retinens*.

45. Inq. 2. An matrimonium sit bonum & honestum? R. affirm. Quia ejus finis nempe propagatio, & conservatio humani generis est bonus, & honestus. Hæretici Encratitæ, Marcionitæ, Manichæi, & alii negarunt hanc veritatem. Lutherus vero econtra matrimonium virginitati prætulit, extrahendo virgines Deo sacratas a monasterio, tamquam a captivitate, ut ineptissime agebat. Sed catholica fides docet matrimonium esse bonum: meliorem vero virginitatem, præscindendo a ratione sacramenti. Nam licet in ratione sacramenti illam excedat; non in ratione status Deo famulandi. Lutherus hoc absurdo cognovit; sed libidinis æstu percitus, ad excusandas excusationes in peccatis, turpem adoptavit errorem, quem merito profligavit Trident. *sess. 24. can. 10.*

46. Inq. 3. An matrimonium sit sacramentum? R. affirm. Est de fide matrimonium inter catholicos esse sacramentum institutum a Christo Domino, quando Matth. 19. dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, vel alio tempore. Non enim certo constat tempus ejus institutionis. Sufficit certo credere fuisse ab



eo institutum. Neque enim certo nobis constant tempus institutionis baptismi; & tamen certo credimus fuisse ab eo institutum, quod etiam fatentur hæretici derisores sacramenti matrimonii. Ante adventum Christi non fuit verum sacramentum, esto tum in scriptura, tum in SS. PP. appelletur sacramentum figurative, aut lato modo. In ratione contractus fuit institutum a Deo in paradiso inter Adam, & Evam. D. Thom. q. 42. a. 1.

47. Inq. 4. Quotuplex differentia adsit inter matrimonium ut contractus, & ut sacramentum? R. Distingui in tribus. 1. In eo, quod ut sacramentum causat gratiam; non vero ut contractus. 2. Quia ut sacramentum fuit institutum post adventum Christi, ut contractus fuit ab initio mundi. 3. Quia ut sacramentum solum reperitur inter baptizatos, & contractus etiam inter infideles. Differt etiam in ratione sacramenti ab aliis sacramentis in eo, quod hoc solum potest reperiri inter virum, & feminam, quod non requiritur in aliis sacramentis. Differt insuper in ratione contractus ab aliis contractibus. 1. Quia ut dictum est, contractus matrimonii debet iniri inter virum, & feminam, quod non exigitur in aliis contractionibus. 2. Quia hic contractus debet esse inter personas habiles ad generandum, quod non deprecantur alii contractus. 3. Quia licet omnes possint celebrari per procuratorem; at procurator pro matrimonio debet habere specialem facultatem cum certis conditionibus, pro aliis contractibus non requisitis.

48. Inq. 5. Quotuplex sit matrimonium? R. Esse septuplex; *Legitimum*, ut inter non baptizatos. *Ratum*, ut inter baptizatos ante consumationem. *Consumatum*, ut post copulam. *Absolutum*, sine ulla conditione. *Conditionatum*, cum aliqua conditione. *Inter presentes*, ut fit regulariter, & *inter absentes* ut aliquando contingit.

49. Inq. 6. Quæ rationes reperiantur in matrimonio? R. Quatuor reperiri. 1. Ratio contractus, per quam matrimonium dicitur validum, seu *legitimum*. 2. Ratio sacramenti, per quam appellatur *ratum*. 3. Ratio vinculi, per quam est *indissolubile*. 4. Copula, per quam dicitur *consumatum*. Copula autem non est essentialis matrimonio; imo nec pars integralis in actu, sed solum in aptitudine, & radicaliter. Ideo

inter beatiss. Virginem, & castissimum Joseph adfuit verum matrimonium sine copula.

50. Inq. 7. Quas significationes habeat matrimonium? R. Ut legitimum significare Dei conjunctionem animæ per gratiam. Ut ratum conjunctionem Christi Ecclesie per baptismum. Ut consumatum unionem hypostaticam verbi cum humanitate, aut unionem Dei cum beatis per visionem beatificam.

51. Inq. 8. An matrimonium sit de præcepto? R. Esse de præcepto naturali, & Divino: non quidem particularibus, sed communitati hominum imposito, Gen. 2. *Crescite, & multiplicamini*. Naturalis lex idem etiam præcipit; conservatio enim speciei est de jure naturali. Hinc querunt aliqui an, si homines perirent, ita ut soli religiosi, vel ordinati in sacris remanerent, isti ad conjugium tenerentur? Respondent ad quæsitum sane metaphysicum, alii affirmando, negando alii, & alii denique distinguendo; vel enim videbantur signa finis mundi, & tunc negant, vel talia signa non apparebant, & tunc affirmant ob dictum præceptum.

#### PUNCTUM II.

*De materia, forma, ministro, subjecto, & fine matrimonii.*

52. Inq. 1. Quid sit materia, & forma sacramenti matrimonii? R. Materiam esse duplicem; nempe remotam, & proximam. Remota, seu materia circa quam, aut ex qua, sunt ipsi contrahentes habiles ad generandum, vel eorum corpora. Materia vero proxima sunt verba, prout significant mutuam corporum traditionem. Forma sunt ipsa verba, prout significant mutuam eorum acceptationem. Forma autem totalis, sicut in aliis sacramentis, est significatio gratiæ per sacramentum productæ. Si autem quæras, cur verba, prout significant mutuam acceptationem, sint forma? R. Quia in omni composito forma est quæ determinat, perficit, & complet illud. Cum igitur per mutuam acceptationem determinetur, & compleatur materia matrimonii, & ipsum matrimonium, ideo ipsa est vera forma matrimonii.

53. Objic. 1. Concilium Florentinum dicit

dicit verba contrahentium esse causam efficientem matrimonii, ergo non sunt forma. 2. Idem respectu ejusdem nequit esse simul materia, & forma, ergo neque verba possunt esse simul materia & forma. 3. Non solum acceptatio determinat traditionem, sed mutuo se determinant, ergo.

54. R. ad 1. Verba esse causam efficientem matrimonii in ratione vinculi, quod non officit, ut sint forma in ratione sacramenti. Ad 2. Non esse inconveniens duas res se invicem determinare secundum diversas rationes, quia omnis materia aliquo modo determinat formam, forma vero ultimate determinat materiam. Per quod patet ad 3. Nota tamen, quod verba ab uno contrahentium prius prolata non habent rationem acceptationis, nisi prout moraliter perseverant usque ad prolationem alterius contrahentis.

55. Inq. 2. An inter catholicos possit separari in matrimonio ratio sacramenti a ratione contractus? Resp. affirmat. Quia Possunt contrahentes, esto illicite, velle celebrare contractum matrimonii cum intentione expressa non efficiendi, nec recipiendi sacramentum; Sed tunc casus matrimonium est validum, quin sit sacramentum, ergo vera est assertio.

56. Objic. 1. concil. Florent. matrimonia fidelium indefinite appellat sacramenta. 2. Ex Christi institutione inseparabiliter ratio contractus est elevata ad rationem sacramenti. 3. Si hoc penderet ex contrahentium intentione, posset unus recipere sacramentum matrimonii, & non alius; ex quo sequeretur non unum, sed duplex sacramentum esse matrimonium. 4. Si validum est tale matrimonium, erit aliquando licitum, ut si contrahens esset in lethali.

57. R. ad 1. Concilium laudatum omnia fidelium matrimonia dicere optime sacramenta; nisi obstet intentio contrahentium. Ad 2. non constare dictam inseparabilitatem, quia Christus elevans hunc contractum ad rationem sacramenti, non immutavit naturam contractus, qui sine ratione sacramenti validus est. Ad 3. Conceditur unum contrahentium posse recipere sacramentum, quin alter illud recipiat, ut accidit, quando contrahitur inter catholicum, & infidelem. Hoc enim sacramentum etiam inter duos catholicos est vir-

tualiter duplex, licet sit formaliter unum. Ad 4. Numquam posse contrahi licet a catholicis sine ratione sacramenti; quia debent apponere materiam, & formam sacramentalem, atque ideo debent esse in statu gratiæ, alias graviter peccant, sacrilegiumque committunt.

58. Inq. 3. Quis sit minister hujus sacramenti? Resp. Esse ipsos contrahentes; quia in omni sacramento ille est minister, qui ponit formam sacramenti; sed ipsi contrahentes ponunt formam matrimonii, ergo ipsi sunt ejus ministri. *Confirm.* Quia ante, & post Tridentinum, ubi hujus decretum non est publicatum, matrimonia fidelium sunt sacramenta sine assistentia Parochi; igitur non hic, sed ipsi contrahentes gerunt vires ministri matrimonii. Hæc est communior Theologorum opinio, ut ait Bened. XIV. in Syn. lib. 8. cap. 13. Est etiam de mente D. Thomæ in suppl. q. 42. art. 1. ad 1.

59. Sed P. Concina in præsentia non dubitat asserere oppositam sententiam sibi probabilior esse, licet sciat D. Thomam contrarium docere. Citat enim illum adstruentem materiam hujus sacramenti esse actus contrahentium. Verum immediate ante ita scribit Ang. Doct. *Ad primum ergo dicendum, quod verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale.* Verba hæc decretoria sunt, igitur hæc sententia est expressa D. Thomæ; & licet opposita probabilis sit, tamen qui eam adstruit, a D. Thomæ recedit.

60. Inq. 4. Quot peccata committant contrahentes matrimonium in lethali? R. Committere saltem duo peccata sacrilegii, sunt enim ejus subjectum, ac simul minister. Unde committunt unum sacrilegium, quia illud indigne suscipiunt, & aliud, quia indigne illud consueiunt *debitum est enim*, ait D. Thom. 3. p. q. 46. a. 5. ad 3. *ut ministri sacramentorum sint boni.* Idem confirmat a. 6. in corp. Contrahentes enim, esto non sint ministri consecrati ab Ecclesia, sunt ministri, vel instrumenta Dei ad sanctum peragendum, & *sancta sancte debent tractari.*

61. Inq. 5. Quot sint bona, & fines matrimonii? R. Tria, nempe *proles, fides, sacramentum.* Bonum prolis consistit in filiorum



rum procreatione, & educatione. Vel in eo, quod, si apponatur diligentia, non impediatur generatio. Bonum *fidei* in mutua fidelitate, & rerum domesticarum societate, & communicatione. Bonum *sacramenti* in collatione gratiæ unitivæ animorum usque ad mortem alterius conjugis: unde fines matrimonii sunt etiam tres: videlicet *propagare naturam, servare fidem, & post Evangelium conferre gratiam unitivam*. Primus finis convenit matrimonio hominis, in quantum animal. Secundus, in quantum est rationalis. Tertius, in quantum est fidelis. Procreatio proles solum radicaliter est finis intrinsecus matrimonii; sumptus enim actualiter, extrinsecus, & accidentalis est: potest quippe absque illo reperiri perfectum matrimonium, ut in beatissima Virgine, & purissimo Joseph.

62. Quidam addunt alium finem post peccatum, nempe sedare concupiscentiam. Hic tamen finis est valde secundarius, nec undequaque licitus. Nec ad hunc finem est matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus, ait D. Thomas in 4. dist. 31. q. 2. ar. 2. Potest licitus fieri consequenter, nempe intendendo prius vel reddere debitum, vel procreationem proles: quo pacto valent contrahentes habere etiam alios fines accidentales, uti sunt honores, pulchritudo, familiæ pax, aut divitiæ. Hi autem fines solum queunt haberi licite, tanquam *impulsivi*, seu *applicantes* pro matrimonio jucundius celebrando.

## PUNCTUM III.

## De matrimonio per procuratorem.

63. Inq. 1. An matrimonium inter absentes sit sacramentum? R. affirm. Tum quia Christus, elevans contractum matrimoniale ad rationem sacramenti, non immutavit naturam contractus, sed natura cujuslibet contractus est, quod possit inter absentes valide celebrari, ergo. Tum quia in matrimonio inter absentes adsunt materia, forma, minister, & intentio cum cæteris requisitis ad ejus valorem in ratione sacramenti, ergo est verum sacramentum.

64. Objic. 1. Actio, & receptio sacramenti est personalis. 2. Quia alias etiam

pœnitentiæ sacramentum, quod fit per modum iudicii, possit dari, & recipi ab absentibus. 3. Quia ex opposito posset sacramentum, & gratiam recipere etiam dormiens, aut valde distans.

65. R. ad. 1. operationem, & receptionem sacramenti esse personalem juxta sacramenti naturam: natura autem matrimonii, sicut & aliorum contractuum est, quod valeat celebrari per alios. Ad 2. Quod in iudicio pœnitentiæ idem est reus, accusator, & testis, ideo nullum est sacramentum absenti collatum, & nulla paritas ad matrimonium. Ad 3. Posse sacramentum, & gratiam recipi etiam in somno, aut amentia, ut patet in eo, qui ante somnum, aut amentiam petisset baptismum, aut pœnitentiam: Præterea virtus sacramenti, cum sit divina, operari optime valet, etiam in magna distantia.

66. Inq. 2. Quot conditiones sint requisite, ut valeat contrahi matrimonium inter absentes? R. Quinque requiri conditiones. 1. Quod procurator sit ad hoc specialiter designatus; non enim sufficit generalis commissio, sed debet esse expressum mandatum de matrimonio contrahendo pro illo. 2. Quod mandatum expressum, & speciale sit ad contrahendum cum determinata persona. 3. Quod mandataris per se matrimonium ineat; non enim habet facultatem subdelegandi. 4. Quod non excedat fines mandati. Unde si potestas illi data sit ut cum tali dote, talibusve conditionibus matrimonium contrahat, aliter faciens, nihil efficit, quia carens potestate nihil facere censetur in jure. 5. Quod non sit revocatum mandatum, antequam matrimonium celebretur. Si enim ante celebrationem mandans illud revocavit, etiam interius tantum, nullum est matrimonium *ex cap. final de procuratoribus in 6.*

67. Inq. 4. An, si procurator contra formam mandati celebret matrimonium, non præmissis denuntiationibus, validum sit? R. affirm. Quia mandans servare formam juris communis, solum intendit, quod res fiat licite juxta illam, non vero conde-re novam formam; sed matrimonium celebratum non præmissis denuntiationibus, validum est in jure, ergo idem de matrimonio per procuratorem sine illis contracto.

68. Inq. 5. An mandatum debeat dari procuratori coram Parocho, & testibus? R.

neg

neg. Quia hoc solum requiritur juxta Tridentinum, quando matrimonium celebratur. Sufficit dari mandatum verbo, aut scripto, ita ut de illo juridice constare possit: Nec valet objicere, quod eadem solemnitas requiritur ad dandam facultatem testandi, ac pro ipso testamento conficiendo. R. Enim hoc specialiter decerni pro testamentis, in quibus facultas testandi censetur ipsum testamentum; unde eadem exigit solemnitatem. Igitur requiritur præsentia Parochi, & testium, dum procurator mandatum exequitur. Tunc enim in eorum præsentia debet dicere v.g. *Recipio te in uxorem nomine Petri, aut Pauli*. Deinde femina: *Ego, te mediante, duco Petrum, aut Paulum, seu mandantem*, exprimendo illum nomine proprio. Si autem per epistolas contrahatur matrimonium, debent legi coram Parocho, & testibus, presente saltem uno ex contrahentibus, qui litteras aperiat, acceptet, & præstet suum consensum. Potest autem matrimonium dictum contrahi inter duos viros, aut inter duas feminas, quia valet esse procurator etiam femina pro viro, & vir pro femina. Pro praxi matrimonium per procuratorem contractum debet revalidari ab ipsis conjugatis coram Parocho, & testibus, ut plenius de illo constet, & securitati consulatur, ut citans P. P. Salm. ait Bened. XIV. in Syn. lib. 13. cap. 23. n. 9.

69. Inq. 5. An, si quis dedit mandatum fictum, postea vero ante illius executionem mutans animum, jam illud habeat verum, valeat matrimonium? R. affirm. Quia, dum matrimonium coram facie Ecclesiæ in initum est nullum ex defectu intentionis, sufficit postea illam supplere, seu apponere, ergo potiori ratione in præsentia. Hic enim adest vera intentio, dum res ipsa celebratur. Secus esset, si a principio mandati esset intentio ficta, postea vera, ac tandem ficta tempore executionis mandati; tunc enim nullum iniretur ex defectu intentionis in actuali celebratione. Idem est in aliis contractibus. Adest tamen hæc differentia inter alios contractus, & matrimonium circa revocationem mandati, quod in contractu civili, dato vero mandato, licet postea revocetur, valet contractus, si revocatio non innotuit mandatario; quia jus supplet consensum. At secus est in matrimonio, pro quo jus minime potest sup-

Tom. II.

plere consensum. Ideo, si adest dissensus tempore celebrationis, nullum est. Contra, adstante consensu cum aliis requisitis, validum est: nota, etiam in lege veteri reperiri validum matrimonium Isaac cum Rebecca medio procuratore Elisei in initum, ut advertit Bened. XIV. ubi sup.

70. Inq. 6. An si quis, postquam dedit mandatum, in amentiam incidat, ante ejus executionem, & celebretur matrimonium, sit validum? R. affirm. Quia prior consensus, quandiu non revocatur, perseverat virtualiter. Nec valet dicere, quod ipse mandans est impotens ad contrahendum. Nam idem esset, si tempore, quo celebratur matrimonium per procuratorem, mandans dormiret, aut ebrius esset; & tamen valeret matrimonium. Eodem igitur modo, esto in amentiam incidat, valet matrimonium suo nomine celebratum. Hæc sententia probabilior, & securior est opposita, quam tenet Concina, & tribuit libertatem alteri parti, ut nubat, cui velit; quod saltem valde dubium, & periculosum est. Num qui, dato consensu pro recipiendo baptismo, in amentiam incidere, non reciperet sacramentum? Uti que ergo, idem de matrimonio.

## PUNCTUM IV.

## De consensu, ad matrimonium requisito.

71. Inq. 1. An mutuus consensus requiratur ad matrimonium? R. Ex quadruplici capite requiri. 1. Quia matrimonium est contractus. 2. Quia est mutua translatio domini corporis unius in alterum. 3. Quia est sacramentum habens pro materia, & forma mutuum consensum contrahentium. 4. Quia juxta Concilium Florentinum *causa efficiens matrimonii est mutuus consensus, per verba de præsentia expressus*. Igitur ita est requisitus consensus mutuus ad matrimonium, ut nulla potestate creata suppleri valeat. An autem per divinam potentiam possit dari matrimonium absque dicto consensu, est questio plus difficilis, quam utilis, & utrinque probabilis, esto mihi probabilior sit pars negativa; quia Deus nequit mutare essentias rerum, sicut nequit efficere hominem, quin sit animal rationale.

72. Objic. 1. Concil. Florentin. decernit consensum contrahentium regulariter

Nn requi-



requiri ad matrimonium, ergo non semper. 2. Potest aliquando Ecclesia cogere aliquem admittere Episcopatum, qui est matrimonium spirituale. 3. Respublica potest transferre dominium rei in alterum sine illius consensu, ergo idem de dominio corporum.

73. R. ad 1. Concilium Florentinum decernere consensum debere regulariter exprimi per verba, non vero debere regulariter adesse, hoc enim semper requiri ex ipso Concilio, & aliis docetur, tamquam dogma de fide optime rationi consonans. Ad 2. Quod in publica necessitate potest cogere Ecclesia aliquem ad acceptandum Episcopatum, præstando consensum ad illum, ex quo non verificatur matrimonium spirituale sine consensu. Ad 3. Quod respublica gaudet potestate supra bona temporalia subditorum; minime vero circa voluntates civium. Potest etiam quis compelli a Magistratu ad contrahendum matrimonium in foro externo; at si deficiat consensus, erit coram Deo nullum.

74. Inq. 2. An, si in dicto casu compulsus contraheret sicte cum Titia, deinde eum vero consensu contraheret cum Berta, esset validum hoc secundum matrimonium? R. affirm. Quia primum fuit nullum, & non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, ex regul. juris 52. Verum in tali casu Ecclesia, quia secundum ea judicat, quæ foris apparent, non decipitur in justitia, sive jure, quamvis decipiatur in factis; sed ille debet potius excommunicationem sustinere, quam ad primam uxorem redire; vel debet in alias regiones remotas fugere ait D. Thom. in suplem. q. 45. n. 4. ad 3.

75. Inq. 3. Qualis debeat esse consensus ad matrimonium requisitus? R. Debet esse verus, non fictus, liber, & non metu injusto extortus; ab errore substantiali immunis, & signo externo manifestatus. Nam consensus mere internus minime sufficit ad matrimonium, quia contractus humanus necessario est sensibilis; fit quippe inter homines, non inter Angelos. Imo exprimi debet regulariter per verba inter potentes loqui; ita ut seclusa consuetudine, alicubi forte adstante, loqui valens peccet solis signis suum consensum exprimendo. Tum quia, sic tenet consuetudo universalis Ecclesiæ. Tum quia sic melius,

& certius manifestatur consensus internus. Nec est admittenda excusatio pudoris, quia ad publice honesta perficienda nemo debet excusari pudore; vide supra n. 14. De nullitate consensus metu, aut errore præstiti suis locis constabit.

76. Inq. 4. An consensus parentum requiratur ad valorem matrimonii filiorum? R. neg. constat tamquam de fide ex Trid. ses. 24. cap. 1. ubi eos anathemate damnat, qui falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. Igitur matrimonia filiorum, etiam insciis, vel invitis parentibus, valida sunt. Idem est de minoribus, & servis, quorum matrimonia sunt valida, etiam invitis tutoribus, aut dominis. Nam secundum ea, quæ ad naturam corporis spectant, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo; quia omnes homines natura sunt patres, puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, & proli generationem. Unde non tenentur servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, inquit D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5.

77. Inq. 5. An matrimonia filiorum, insciis, aut invitis parentibus, sint licita? R. Ut plurimum esse graviter illicita: Nam leges fere omnium nationum ea reprobant, & filii ita se gerentes peccant graviter contra obedientiam, pietatem, & reverentiam parentibus debitam. Nec oppositum docent verba Angelici immediate adducta; intelligenda enim sunt de valore matrimonii, vel de parentibus injuste contradicentibus filiorum status præstanti electioni. At semel quod velint nubere, debent consulere parentes, ac eis obedire, quando rationabiliter dissentiant filiorum matrimonio. Maxime vero, si filii digne nubere intendant. Tunc enim non solum peccant filii contrahendo, sed & Parochus assistendo, & alii cooperando. Ex talibus enim matrimoniis oriuntur fere semper odia, rixæ, dissidia, & scandala cum familiæ dedecore, & infamia, & tandem mali exitus inter ipsos conjuges.

78. Piissimus Rex noster Carolus III. vere Catholicus pro sua Religione, & eo quod ipsi competit erga Ecclesiam jure protectionis, veram hanc doctrinam, quam sustinemus, suis diplomatibus roboravit, quod

Non solum enim matrimonia minorum absque prævio parentum, consanguineorum, & in eorum defectu Prætoris consensu gravissimis poenis multavit, sed etiam præcepit, ut nullatenus actio in tribunalibus admittatur pro sponsalibus sine prædicto consensu factis. Hoc in sua Præmatica Sanctione anni. 1776. Iusuper ann. 1783. ordinavit juvenes in Colegiis militaribus, aut aliis quibusque suæ protectioni immediate subjectis, nullatenus matrimonia, nec adhuc sponsalia absque sua expressa licentia contrahere posse. Hanc ipsam ordinationem ann. sequenti 1784. extendi voluit ad omnes juvenes utriusque sexus in collegiis, universitatibus, seu convictoriis pro eorum educatione commorantibus, cum hoc tamen discrimine, quod alumni seminariorum præter assensum parentum, etiam ordinarii venia indigeant: Universitatum autem illius Regii Senatoris, qui pro illa Universitate est Præfectus: Collegiorum tandem, quæ Regiæ protectioni immediate subsunt, ipsius Regis expressa licentia, ut sponsalia contrahere valeant. Denique ann. 1785. in quadam sanctione formam assignavit iudicibus ecclesiasticis procedendi in causa sponsalium, cognita prius a iudice seculari, an consensus legitimus majorum (juxta formam præscriptam necessarius) defecerit, nec ne. Hæc omnia Rex vere catholicus ad vitanda plurima scandala, innumerabilia peccata, expensasque maximas in tribunali, & ad fovendam disciplinam ecclesiasticam juxta Encyclicam Benedic. 14. 17. Novem. 1741.

## PUNCTUM V.

## De matrimonio conditionato.

79. Inq. 1. Quid, & quotuplex sit conditio? R. conditio est oratio, quæ id omne, quod agitur, in futurum eventum suspendit. Alia est generalis, alia particularis. Conditio generalis est, quæ omnibus contractibus inest: ut si vixerimus, si consenserit. Hæc conditiones non suspendunt contractum, nec faciunt illum conditionatum; idem est de conditionibus necessariis, sive absolute, ut si sol cras oriatur,

sive ex suppositione, ut si iudicium universale sit futurum. Particularis est, quæ non inest omni contractui, sed adjicitur illi; ut si parentes consenserint. Alia sunt conditiones intrinsecæ contractui matrimonii, ut si non es consanguinea, vel non adsit impedimentum dirimens. Et nec istæ suspendunt contractum eadem ratione; quia, cum non possit esse contractus sine illis, sunt veluti generales. Alia sunt impossibiles, sive ex natura, ut si digito tangas cælum; sive ex jure, ut si non es consanguinea; sive ex facto, ut si pauperi dicatur: si dederis centum libras auri; sive ex suppositione, ut si corruptæ dicas: si virgo es. Alia sunt possibili, & contingentes, quæ rursus dividuntur in turpes, vel contra substantiam matrimonii, ut si procures sterilitatem; vel extra eam, ut si postea fueris, aut homicidium committas; in honestas, ut si virtutem sequaris; & in indifferentes, ut si in campum egrediaris.

80. Inq. 2. Quæ conditiones suspendant matrimonium? R. suspendere illud omnes conditiones particulares de futuro honestas, indifferentes; D. Thom. in suplem. q. 47. a. 5. quia natura conditionis est suspendere contractum, cui inest. Conditiones vero de præsentibus, aut præteritis, impossibiles, & turpes, quæ non sunt contra substantiam matrimonii, pro non adjectis habentur, nec illud suspendunt. Si enim sunt de præsentibus, aut de præterito, patet; quia vel sunt, vel non sunt. Si primum, matrimonium ex tunc est validum. Si secundum, nullum. Circa conditiones vero turpes relatas constat ex cap. Si conditiones, ubi Greg. XI. definit. Si conditiones contra substantiam conjugii inferantur; puta, si alter dicat alteri: contrahe tecum, si generationem proli evites, vel donec inveniam aliam honore, & facultatibus ditiores, aut si questu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu; licet alia conditiones apposita in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.

81. Igitur omnes conditiones turpes, aut impossibiles extra substantiam matrimonii non illud suspendunt, quia pro non adjectis habentur, quando certo non constat de dissensu. Si enim constet non adfuis-



se consensum, vel solum adesse ligatum conditioni impossibili, nullum est matrimonium. Et idem est si conditio sit turpis, quia remoto consensu, seu ligato conditioni, usque ad ejus eventum nequit existere matrimonium. In foro autem exteriori, in quo solum de externis judicatur, & de interno dissensu, aut de alligatione consensus conditioni non constat, rejicitur conditio, quia præsuntur joco posita. Quod dictum est de matrimonio, tenet pariter de sponsalibus sub conditione initis.

82. Inq. 3. An conditiones honestæ irritent matrimonium? R. Sub distinctione, vel enim sunt contra substantiam matrimonii, vel non. Si primum, irritant illud; ut *contrabo tecum sub conditione non utendi jure conjugii, vel servandi castitatem*. Quia hæc conditio explicita, non solum actui, sed etiam potestati contrariatur copulæ carnalis, & ideo est contraria matrimonio, inquit D. Th. in suppl. q. 48. art. 1. ad 3. Nec ob hoc matrimonium beatiss. Virg. cum S. Joseph desit esse verum, & legitimum: quia licet purissima Virgo habuerit votum castitatis, & numquam in copulam consenserit, nullam apposuit conditionem explicitam matrimonio contrariam, ut cum D. Thom. præclare explicat Bened. XIV. in Syn. lib. 13. cap. 22. num. 13.

83. Si autem conditio honesta non sit contra jus, aut bona matrimonii, ut si *es nobilis legitima, primogenita*; habita notitia, quod talis sit, vel adstante conditione, est validum matrimonium; ea vero deficiente, nullum. Si autem diceret: *contrabo tecum si virgo es*, idem est dicendum. Tamen nequit ipse experimentum facere per se, sed stare debet dictis peritarum, alias, ut impudicus est repellendus. Unde matrimonium sub his conditionibus, si deficiant, est nullum, esto defectus agnoscat post multum tempus, aut post repetitas copulas, Nisi renovetur consensus, aut post notitiam defectus illam copula maritali cognovisset. Tunc enim, suppositis cæteris requisitis, jura censent convaluisse matrimonium.

84. Inq. 4. An matrimonium, vel sponsalia inita inter habentes impedimentum dirimens sub conditione: *Si Papa disperset*, valida sint? R. affirm. Dummodo im-

pedimentum sit ex illis, quæ dispensari solent. Nam vere obligantur, vel intendunt se obligare, pro tempore, quo cesset impedimentum, & sub conditione, quod auferatur. Hac ratione licet Episcopo emittere votum religionis sub eadem conditione; atque, dispensatione obtenta, debet votum implere. Sic igitur contrahentes licet sint inhabiles tempore contractus; referuntur tamen ad tempus, pro quo erunt habiles. Ideo illud expectare tenentur; & obtenta dispensatione, non requirunt novus consensus ad sponsalia; neque ad matrimonium, si fuit contractum coram Parocho, & testibus: quamvis consultius sit renovare consensum; addit enim matrimonium rationem sacramenti supra naturam contractus. Quis sit modus, & demonstratio, quibus solent contractus iniiri, & alia huc spectantia. Vid. tract. 20. a. num. 4.

85. Inq. 5. An, si quis contrahat matrimonium conditionatum cum Berta, & ante eventum conditionis absolutum cum Titia, hoc secundum sit validum? R. affirm. Quia primum erat suspensum; nec ex matrimonio, aut sponsalibus conditionatis oritur impedimentum ligaminis, aut publicæ honestatis. Ideo si quis contrahat sponsalia cum Lucretia sub conditione, quod ejus pater ex Indiis redeat, & ante illius reditum cum illius sorore matrimonium contrahat sine ulla conditione, validum est; quia ex prioribus sponsalibus utpote conditionatis, non resultat impedimentum publicæ honestatis.

86. Inq. 6. An sit licitum contrahere matrimonium sub conditione? R. neg. Tum quia sacramenta nequeunt licite ministrari, aut recipi sub conditione absque necessitate, & vix adesse valet necessitas celebrandi matrimonium sub conditione. Tum quia pluribus dubiis, & scrupulis exponerentur sic contrahentes. Tum quia, si conditio sit de presenti, aut præterito, inepte apponitur in re tam gravi. Si autem sit de futuro, expectetur eventus conditionis, & tunc iniatur contractus. Unde minime debet Parochus permittere aliquam conditionem adjici matrimonio. Dicta tamen de conditionibus prodesse queunt pro locis, ubi matrimonium sine assistentia Parochi est validum; vel si aliquando contingat apponi, esto illicitum, etiam

etiam coram Parocho, & testibus.

## PUNCTUM VI.

Qualiter matrimonium nullum sit revalidandum.

87. Inq. 1. Ex quot capitibus evadat nullum matrimonium? R. Posse esse nullum ex duplici capite. Nempe, vel quia defuit consensus verus; vel quia adfuit impedimentum dirimens in ejus celebratione. Ad hæc duo capita reducuntur omnia, quæ causare valent nullitatem matrimonii. Nam, licet hoc sit nullum, si celebratur ad tempus, vel sub conditione, donec alter caste vivat, vel adulterium non committat, ut solent Calvinistæ: hi etiam defectus reducuntur ad carentiam consensus legitimi, qui pro matrimonio debet esse perpetuus sine limitatione temporis. Vel saltem debet sine ejus expressione contrahi, ne nullum evadat. Præterea impedimentum dirimens potest esse publicum, vel occultum. Si est publicum, aut probari possit, vel timetur publicandum, non est questio: tunc enim debet publice revalidari matrimonium, renovato consensu ex utraque parte. Ut si celebratum sit inter consanguineos absque dispensatione, & hoc est publicum, aut aliquibus notum; vel foret innotum sine Parocho, & testibus. In hoc duplici casu, aut simili, coram Parocho, & testibus, sublato prius impedimento, revalidari debet.

88. Inq. 2. An hoc ita fieri debeat ubique, vel solum ubi Tridentinum est receptum? R. Ubique debere fieri quoad licitum; ubique enim est illicitum matrimonium clandestinum, ut suo loco patebit. Verum ubi Trid. est receptum, non solum ad licitum, sed etiam ad validum, requiritur dicta revalidatio publica; quia constare debet Ecclesiæ, tum de ejus celebratione, tum de ejus valore, impedimento jam media dispensatione sublato.

89. Inq. 3. An quando matrimonium in facie Ecclesiæ contractum, ob impedimentum occultum fuit nullum, debeat revalidari coram Parocho, & testibus? R. neg. Quia semel contracto matrimonio coram facie Ecclesiæ, jam fit satis Tridentini decreto, & ejus finis, qui est, ut publice constet de celebrato matrimonio. Id autem

tem revera constat, dum defectus est occultus. Tunc enim occulta est janua periculis deserendi conjugem, aliamve accipiendi. Atque ita declaravit Pius V. ut ajunt Navarrus, & alii. Idem tenet Concina de matrimonio nullo ex defectu consensus liberi his verbis: *Si matrimonium primo contractum fuit coram Parocho, & testibus, nemine reclamante, nulla mentione timoris incussi facta, sat matrimonium convalescit per solum privatametiam occultum, consensum, mutuanque maritalem cobabitationem. Ita lib. 2. de matrim. diss. 1. cap. 6. num. 26.*

90. At diss. 4. cap. 7. n. 14. & seqq. oppositum contra Salmanticenses, & alios graves AA. propugnat contendens, quod licet matrimonium solemniter rite coram Ecclesia primo fuisset celebratum, si tamen nullum evasit ex impedimento occulto, vel propter defectum consensus sinceri, & liberi revalidari debeat coram Parocho, & testibus. Hoc intendit probare ex quadam responsione missa privatim P. Comitolo a Clemente VIII. Unde inprimis apparet hujus viri inconsequentia, ut eum legenti patebit. Deinde plura facit responsionem privatam, quam authenticam Pontificis, & sacr. Congreg. Concilii. Præterea sua posterior contentio est contra praxim, & stylum sac. Pœnitentiariæ, ubi dispensantur impedimenta occulta, ut occulte revalidentur matrimonia; de quo numquam dubitavi in Hispania, & amplius mihi constat in hac urbe Romana. Tandem ex hac doctrina Concina, si admitteretur, plurima orientur incommoda, & scandala; passim enim deberent revalidari in publico matrimonia cum gravissima nota, & non parva infamia. Propterea libuit quasdam hujus authoris antilogias indicare, ne ejus doctrinæ nimis addicti errent, illam sequendo sine examine. Revalidantur igitur occulte cum relatione ad matrimonium coram facie Ecclesiæ contractum. Et ita mihi est responsum hic Romæ ex ipsa Secretaria Cardinalis Pœnitentiarii.

91. Inq. 4. Qualiter sit revalidandum conjugium ex defectu consensus nullum? R. Sub distinctione. Vel enim defuit consensus ex parte utriusque, & hoc utriusque est notum, & tunc utraque simul debet expressum, & mutuum consensum præstare; vel nullus scit alterius defectum, &

tunc



tunc sufficit quod uterque privatim illum apponat aliquo signo exteriori manifestatum, saltem cohabitando affectu maritali, si ex ampliori detentione incommoda timeantur. Vel defuit consensus ex parte unius, quia fide contraxit; & tunc nisi magna dissidia ex matrimonio timeantur, vel maxima disparitas inter contrahentes adsit, debet simulator præbere verum consensum modo dicto. Vel consensus fuit nullus, quia metu extortus; & tunc si coactus libere postea consentiat, & alter, ut supponitur, in priori consensu perseveret, conualescit matrimonium, ut docet D.Th. in *supplem. q. 27. art. 4. ad 2.*

92. Inq. 5. An sit credendum conjugum affirmanti se consensum pro matrimonio non præstitisse? R. Sub distinctione. Vel enim id asserit in foro interno, vel in externo. In foro interno credi debet a Confessario, quia ibi ipse poenitens est reus, & accusator, nec attenditur præsumptio, sed veritati. At debet Confessarius iuxta supra dicta eum compellere ad verum consensum præstandum. In foro autem externo non debet credi conjugum iuranti sibi consensum defuisse, sed contrarium præsumitur, ut sæpe dicitur in iure canonico, & patet ex *cap. Consultationi, de spons.*

## PUNCTUM VII.

*Alia dubia de revalidatione matrimonii.*

93. Inq. 1. An quando matrimonium fuit nullum ob impedimentum occultum ortum ex culpa unius conjugis, ut qui antea rem habuit cum fratre, aut sorore alterius, debeat ignorans fieri conscius de nullitate ad illud revalidandum? Supponitur, quod dum commode fieri valet absque timore scandali, rixarum, aut separationis, semper conjux ignorans nullitatem de ea moneri debet, ut novum consensum uterque simul apponat; alias pars ignara persistit in priori consensu nullo, & hunc ratificat; unde ratificat consensum nullum insufficientem ad matrimonium. In casu vero prædicti timoris ajunt AA. quod pars conscia, obta impedimenti dispensatione, curet delinire blanditiis alteram, & dum videt eam bene dispositam, sic ei dicat: *Pro mea consolatione, & majori affectu volo tecum inire matrimonium: Ita enim*

*te diligo, ut si non esset contractum, libentissime nunc contraberem, & sic illud contrabo, ac si non esset contractum. Nonne tu idem dicis, & facis pro meo solatio? Si respondeat: ita volo, vel facio, vel id exterius manifestet, finita lis est, dummodo consensum actualem, & non tantum habitalem deprimat.*

94. Verum difficultas maxima est, dum conscius impedimenti talia verba non audeat proferre, timeans prudenter inde alterum conjugem delictum perpetratum suspicaturum, unde plurima scandala, separatio, desertioque prolis, quæ forte adsit, provenient. Quid igitur in tali angustia faciendum? R. Sufficere tunc, obta dispensatione pro revalidatione matrimonii, copulam conjugalem affectu maritali habitam: quia ablato impedimento, uterque conjux est habilis, & alias copula affectu maritali habita sufficienter pro talibus circumstantiis exprimit consensum matrimonii; qua ratione ante Tridentinum per illam sponsa ita de futuro transibant ad matrimonium de presenti.

95. Inq. 2. Quomodo sit revalidandum, quando dispensatio impedimenti conceditur sub hac, aut simili clausula: *Altero conjuge de nullitate prioris consensus certiorato?* R. Tunc debere conscium impedimenti declarare, se non rite matrimonio consensisse, quando primo fuit celebratum, ideoque ex consilio Confessarii oportere, ut ambo consensum renovent, atque ex tunc ipsum ex sua parte illum libenter renovare. Si altera conjux eandem voluntatem manifestet, sat est pro matrimonio iuxta clausulam revalidandum. Verum si timeatur alterum velle separari, redeunt angustia: & tunc deservire possunt supradicti modi, dum talia rescripta expediuntur matrimonium revalidandi. Nec aliud est præsumendum de Ecclesiæ pietate, nisi quod in talibus circumstantiis, & angustis subueniatur modo possibili fidelium solatio, ac animarum remedio. Hanc esse mentem sacre Poenitentiarie testatus est mihi ejusdem actualis Secretarius.

96. Inq. 3. Quid agere debeat Confessarius conscius de nullitate matrimonii poenitentis? R. Magna cautela, & prudentia ei opus esse, ut iuxta varietatem circumstantiarum illum moneat, aut taceat, igitur

igitur vel poenitens laborat ignorantia vincibili, vel invincibili nullitatis. Si primum, debet illum monere, quia ignorantia vincibilis non excusat a culpa; unde nequit eum absolvere, nisi, detecto errore proponat amplecti omnia, quæ sibi præscripta fuerint a Confessario. Hic autem debet illi præcipere, quod ex tunc separetorum, adinvento aliquo motivo; quod minime petat, aut reddat debitum: quod quanto citius obtineat dispensationem ab Episcopo, informando illum de omnibus circumstantiis, ut quam primum provideat de remedio, supposito, quod nullitas proveniat ab impedimento dirimente de jure ecclesiastico. Si enim proveniat ex impedimento juris naturalis, statim poenitus separari debet. Si vero nullitas oriatur ex defectu consensus, illico eum adhibeat, cum quo libere possit, & copula maritali, conualescit matrimonium. Idem est, si Confessarius interrogetur a poenitente de impedimento, aut nullitate; tunc enim ne suo silentio approbet errorem, debet aperire veritatem; nisi in aliquo casu, in quo, post matrimonium publice initum, prævideantur ex monitione maxima incommoda, & scandala sequenda fore: tunc enim saltem ad tempus simulare debet, se audisse interrogationem.

97. Si poenitens laborat ignorantia invincibili impedimenti, & vult contrahere matrimonium, monendus est a Confessario. Tum quia hic est magister, cui incumbit docere poenitentes veritatem. Tum quia alias in culpa esset, quod fieret matrimonium nullum. Si omnia ad illud sint jam disposita, moneat, quod eliciat votum castitatis pro aliquo tempore, vel alio motivo curet differre matrimonium, usque dum dispensatio obtineatur, supposito, quod impedimentum est occultum, & provenit ex culpa poenitentis, quia v. g. rem habuit cum sorore illius, cui vult nubere. Si enim proveniret ex alia radice inculpa, publicari deberet ante contractum matrimonium, nec de hoc est questio, aut difficultas. Non desunt, qui asserant quod si, adhibito omni medio pro dilatione matrimonii, nihil proficiat, quin sequantur magna incommoda, & scandala, posse Parochum pro tali angustia dispensare, recurrendo illico ad Ordinarium pro absoluta dispensatione, quod, supposita

vera necessitate, & angustia, consonat, rationi, & pietati Ecclesiæ. Verum hoc rarissime est faciendum. Nec tunc posset ex vi talis dispensationis consumari matrimonium.

98. Quando autem Confessarius scit nullitatem matrimonii jam contracti bona fide, in qua poenitens persistit, sub distinctione procedere debet. Vel enim est in potestate poenitentis ejus revalidatio absque scandalis, vel non: si hoc secundum, taceat, & relinquat insua bona fide poenitentem, ne constituat illum in supradictis periculis separationis, & angustiarum absque ullo remedio, & profectu. Idem efficiat, si non profuturam, sed nocituram suam monitionem graviter timeat. Sic in facti contingentia olim bis respondi cuidam Parocho, & alteri Confessario, Archiepiscopo Diocesano unam, & alteram responsionem in duplici casu approbante. Nam ex una parte ambo conjuges erant in bona fide, & impedimentum omnino erat occultum; & ex alia timebantur magna inconvenientia cum separatione, & desertione prolis: quo in casu ipsa prudentia dictat silentium, & non semel sac. Poenitentiarie respondit: *relinquantur in bona fide.* Hoc etiam observare debet potiori ratione quicumque alius, qui nec Parochus, nec Confessarius sit, conscius impedimenti occulti, inito jam matrimonio; illi enim non incumbit conjuges illuminare. Hic est casus, in quo præcipue debet Confessarius sub secreto consulere Episcopum, & viros doctos, priusquam moneat poenitentem. Alias exponitur periculo plures errores committendi, sequendo oppositam.

99. Quando autem noscit Confessarius, quod revalidatio matrimonii absque incommodis, & scandalis est in potestate poenitentis, licet accedat bona fide, & ignorantia invincibili nullitatis matrimonii, profuturamque speret monitionem, debet eum monere, jubendo separare eorum, quoadusque dispensatio obriatur, & modo supradicto matrimonium revalidetur. Hæc monitio prudenter fit statim post absolutionem, ne antea facta perturbet poenitentem cum novitate inopinata, & divertat a dolore, & devotione, pro sacramenti susceptione requisitis.